



# Disputatio juridica inauguralis, continens illustres quasdam ex variis juris materiis quaestiones

<https://hdl.handle.net/1874/345141>

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
CONTINENS

Illustres quasdam ex variis Ju-  
ris materiis cuestiones.

QUAM  
PRÆSIDE SUMMO NUMINE  
*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

JACOBI VALLAN,

M.D. Praxeos & Institut. Medicinæ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicī consensu, Nobilissimaque  
Facultatis JURIDICÆ Decretō,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitime consequendis,

CORNELIUS VAN NIMMEGEN, Roterod.-Bat.

*Eruditorum examini subjicit.  
Ad diem 15. Maii hora locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clo Ic xci.

PARENTI CHARISSIMO,  
AFFINI DILECTO  
CONSANGUINEIS  
ET ALIIS  
AMICIS.  
NEC NON  
FAUTORIBUS.

*Hacce Theses Inaugurales*

offert & inscribit

CORNELIUS VAN NIMMEGEN,

AUCTOR.

1700. TRANSLAT. A. H. V. A. A. C. T. O. R. I. S. T. A. B. O. O. D. B. I. L. D. E. Z. C. R.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

CONTINENS

Illustres quasdam ex variis  
Juris materiis quæstiones.

THEISIS I.

**D**icitur. Effecta emtione venditione, sci-  
licet cum de re & pretio conve-  
nit, Quaritur, num vendor  
teneatur præcise rem venditam  
tradere, vel an possit se liberare  
præstanto id quod interest, pri-  
mum affirmo; arg. l. II. §. 2.  
l. 30. §. 1. l. 46. ff. de contrahend.  
empt. §. 1. Inst. de empt. & vendit. æquitati enim

A 2

non

## 4 DISPUTATIO JURIDICA

non convenit frangere fidem contractus, & quemadmodum emptor tenetur præcise solvere pretium, ita etiam venditor præcise rem venditam tradere obligetur, summa ratio postulat: nuspia<sup>m</sup> enim potest colligi, quod venditor liberaretur præstanto id, quod interest: quia iniquum esset emptorem periculum rei sustinere, & tamen illam cum veller, à venditore alioquin tradere valente consequi non posse. Præterea cum hæc sententia plerisque arrideat. teste Brunnem. ad l. 4. Cod. de act. empt. vend. Indulgeretur enim malitiæ hominum, si venditor, præstanto id quod interest, liberari posset, frustraque diceretur perfectam venditionem pœnitentiâ venditoris rescindi non posse, adeoque ne quidem etsi pretium in duplum reddere velit. l. 6. Cod. de rescind. vendit. si, posset se liberare præstanto id quod interest, præsertim cum id regulariter duplum excedere non potest. l. un. Cod. de sentent. quæ pro eo quod inter. etenim effectu ipso dissolveretur contractus venditionis, quando non præstaretur id quod de ejus substantia est, nempe merx: denique ex adversa opinione sequeretur, quod liceret venditori eandem mercem secundo vendere: quippe id non impediret, quo minus primæ venditioni satisficeret, præstanto nempe id, quod interest: atqui illud adeo non, licet ut cadat in crimen falsi. l. 21. ff. ad l. Corn. de siccari. aut certe stellionatus. l. 3. §. 1. versiculo maxime ff. stellion.

II. Cum non

# INAUGURALIS.

I I.

Cum autem emptor hereditatis vicem heredis obtineat, eique restituendum sit, non solum quod jam ad heredem pervenit, ex ea hereditate, sed & quod quandoque pervenerit. *l. 2. §. 4. § 18. ff. de hered. vel att. vend.* Quæritur? an in emptorem hereditatis transeat jus accrescendi. Quod plane nego. Nihil enim directe emptori accrescit quippe juri accrescendi tantum locus est inter coheredes, & emptor hereditatis neque à testatore, neque à lege ad partem aliquam hereditatis vocatur, neque fit heres; sed vendor heres manet: nam effici non potest ut qui semel heres extitit definat esse heres *l. 88. ff. de hered. instit.* actus enim agentium ultra eorum intentionem extendi non possunt. *l. 19. ff. de reb. cred. l. 34. ff. de R. J.* jam vero credibile non est, de eo inter contrahentes aut cogitatum, aut actum fuisse, quod an ad venditorem aliquando per venturum esset: & emptor & vendor ignorabant. Et quæso, cum pretium rei venditæ æquâ proportione constitui soleat. *l. 63. ff. ad l. Falc.* an non absurdum & iniquum videretur, si heres cogeretur portionem longe maiorē, & forte triplo vel quadruplo, accrescentem postea, ad emptorem transferre. Quibus ita positis, portiones deficientium heredum non emptori hereditatis, sed heredi, qui suam portionem agnovit, & vendidit, ad crescere mihi explorati juris videtur. Jus autem accrescendi est ejusmodi jus, quo portio

A 3

here-

## 6. DISPUTATIO JURIDICA

heredis, qui vel noluit vel non potuit adire hereditatem, cæteris heredibus accrescit.

### I I I.

Fidejussorem in majorem quantitatem acceptum quam debebat reus principalis ne in debitam quidem obligari affirmo l. 8. §. 7. ff. de fidejuss. & mand. dicit enim Jurisconsultus d. i. in duriorem causam adhibitos omnino non obligari. Latinis autem omnino non idem valet quod nullo modo, neutquam, plane, prorsus, penitus non. Vinn. comment. ad §. 5. Inst. de Fidejuss. n. 2.

### I V.

Quæritur si filius familias duxerit uxorem sine consensu patris, in cuius est potestate, & liberos ex ea procreaverit, & pater postea consentiat nuptiis, an illa ratihabitio patris faciat nuptias retro legitimas, & illi liberi ante consensum nati pro legitimis habendi sint, quod nego: nam ratihabitio in nuptiis non retrotrahitur, sed ex eo demum tempore justæ intelliguntur nuptiæ, ex quo pater eas ratas habuerit. l. 13. §. 6. ff. ad l. Jul. de adult. l. II. ff. de statu homin. l. 65. §. 1. ff. de ritu nupt. l. 6. Cod. de nupt. pr. & §. pen. Inst. eodem.

### V.

Tutor datur personæ, non rei. §. 4. Inst. qui testam,

## INAUGURALIS.

7

*ftam. tut. dari poss. datur enim ad tuendum pupilum §. 1. Inst. de tutel. ideoque si ad certam rem, aut causam datus fuerit, tota datio non valebit. l. 12. cum. duab. seqq. ff. de testam. tutela.*

## V I.

Exheredatione non tollitur suitas. Filius enim exheredatus moriente patre proximum in potestate & familia gradum obtinet: quæ sui heredis definitio est l. 12. ff. in fine qui testam. fac. poss. §. 2. Inst. de hered. qual. & differ. & filio exheredato pater qui exheredavit tutorem adscribit. l. 4. ff. de testam. tut. item pupillariter substituit. §. 4 Inst. de pupill. subst. qui sunt effectus suitatis. l. 73. §. 1. ff. de R. J. l. 2. pr. ff. de vulg. & pupill. subst.

## V I I.

Mutuo alienationem inesse suppono: res enim mutua in hoc datur, ut accipientis fiat. pr. Inst. q. mod. re contrah. obl. l. 1. §. 2. in fine ff. de oblig. & action. l. 167. ff. de R. J. & is qui credit, dominus esse debet. l. 2. §. pen. ff. de reb. cred. supponendum igitur est id, quod mutuo datur alienari. argum. l. 9. ff. de auct. & conf. tut. l. 16. ff. de reb. cred. §. 2. Inst. quib. alienare lic. vel non. debet insuper intervenire traditio, & quidem datio, cum in finem, ut res accipientis fiat: dare enim est dominium transferre. §. 14. Inst. de action. & obligatus ad dandum, dominium transferre debet. l. 75. §. ult.

## 8 DISPUTATIO JURIDICA

*ult. ff. de verb. oblig.* præterea si spectemus vocis etymologiam, recte per allusionem mutuum quasi ex meo tuum dicitur.

### VIII.

Rei alienæ legatum valet, nullamque in se continet iniquitatem, maxime cum probabili nitatur ratione, prolixius indulgendi supremis hominum desideriis, & eo tantum pertineat, ut heres rem à domino redemptam, aut eo nolente vendere, aut volente quidem sed non nisi immodico pretio, justam ejus æstimationem legatario præstet. *I. 71. §. 3. de leg. I. l. 14. §. ult. ff. eodem. 3.* rem enim alienam legans, vi & effectu de suo legare intelligitur, nempe ut jam dictum est heredem suum onerat, ut rem, licet ejus paratio difficilis sit. *I. 39. §. 7. ff. de leg. I.* redimat, & redemptam præstet: aut si id non potest, æstimationem ejus inferat, qui hujus legati effectus est. *§. 4. Inst. de legat. d. I. 71. §. 3. ff. eodem I.*

### IX.

Illud autem hic quæritur an, ubi dolus causam præbet contractui bonæ fidei, iste contractus sit ipso jure nullus? quod affirmo: dolus autem dicitur contractui præbere causam, quando quis, cum animalium contrahendi non haberet, in hoc circumscriptus, & dolo adversarii adductus, ut emeret, venderet

deret l. 7. ff. de dolo malo. aut societatem contrahe-  
ret. l. 16. §. 1. ff. de minor. &c.

## X.

Perfectā emtione venditione, etiam ante traditio-  
nem, quemadmodum ad emtorem pertinet omne  
commodum rei venditæ accedens, ita etiam ejus est  
incommodum l. 1. Cod. de peric. & comm. rei vend.  
l. 7. ff. eodem. iniquum enim non est, ut qui sentit  
commodum, idem etiam sentiat & incommodum.  
l. 10. ff. de R. f. l. 15. §. ult. ff. de legat. præstand.  
omne enim commodum & incommodum ad emto-  
rem pertinere debet. l. 11. §. 9. 10. 11. & 12. ff.  
quod vi aut clam. nihil autem obstat, quod res pe-  
rit suo domino. l. 9. Cod. de pign. act. atque vendi-  
tor ante traditionem adhuc est dominus. §. 3. in fine  
Inst. de emt. vendit. nam hæc regula cessat, quan-  
do idem qui dominus, etiam & debitor ejusdem rei,  
quemadmodum hic venditor, qui simul est domi-  
nus rei venditæ, & debitor: omnes autem certæ rei  
debitores liberantur ejus interitu, si res sine culpa  
eorum perierit. l. 23. ff. de verb. oblig. l. 5. ff. de  
reb. cred.

## X I.

Qui mandat vulnerari, occidi autem vetat, ho-  
mine occiso æque tenetur atque mandatarius, nihil  
enim interest, occidat quis, an causam mortis præ-  
beat. l. 15. ff. ad l. Corn. de sic. mandans etenim

B

scire


10 DISPUTATIO JURIDICA INAUG.

scire debuit iustum moderari arbitrio suo mandatarii non posse, nec esse in ejus potestate certo loco certæ & definitæ magnitudinis vulnus infligere; nam facile potest occumbere quem quis vulnerari jufserat.

X I I.

Coronidis loco sunt hæ quæstiones , non licet solvere per partes. l. 41. §. 1. ff. de usuris. l. 3. ff. fam. ercisc. neque aliud pro alio. l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. mulier potest renuntiare Senatusconsulto Vellejano, filiusfamilias non itidem Macedoniano.

F I N I S.



Op

Op des HEEREN  
KORNELIS VAN NIMMEGENS

inwijdinge tot der beyden Rechten Doktor  
te U T R E C H T.

Πολὺς μόδι εῖτιν δὲ φρονεῖμδυσθεὶματος,  
πλεῖστον δὲ μηδέτος — — —



NIMMEGEN, ga den Lauwer  
halen,  
De prijs die voor uw' naastigheid  
U op deez' dag is toegeleid.  
Grijp moed, ik zal uw brein bestralen  
Met wijsheid, om mijn eer voortaan  
Gelijk als d'ume voor te staan.  
Zoo riep Rechtvaardigheid gevlogen  
Voor d'oogen van haar voesterling,  
Wiens hart terstond een lust beving,  
Om voor de weereld te betoogen,  
Wat hy uyt d'overvloed en schat  
Van 't Roomsche recht begrepen had.  
Beblokte hy by nacht en dagen  
Het Wetboek wakkerlijk voor been,  
En wist hy in het Leidsch Atheen

De

De brave lessen wech te dragen,  
Nu zoekt by t'Utrecht arbeids loon,  
Den meesterlijken tijtel-kroon.  
De hooge School gaat voor hem open :  
Zijn redenstof vol pit en klem,  
Verkrijgt der opperleeraars stem;  
Waar door by op triomf mag hopen.  
Wie maar onzijdig hoort en ziet,  
Misgunt hem d'overwinning niet.  
Triomf ! na zulk een moedig strijden  
Volgt hem de glorie en de faam,  
Zig spoedende , om wel haast zijn naam  
Voor Hollands Recht-hof in te wijden,  
Tot voorspraak van Rechtvaardigheid,  
Die hem haar gunst had toegezeid.

P. RABUS.

